

praelibatae ad nos cum pleno et sufficienti mandato, ut apparet ex forma instrumenti manuscripti Raphayni de Caresinis publici auctoritate imperiali notarij et Ducatus Venetiarum scribae, sub millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo, die uigesimo octauo mensis Nouembris, decimae indictionis, dum in ciuitate nostra Jadrae fuisset, transmiserunt, et nos declaratis ipsorum uoluntatibus ad perpetuae pacis et concordiae uinculum amicabiliter inuitarunt per eosdem. Nos igitur, qui cum Christianis quibuscumque, et potissime cum Venetis, antiqua amicitia regno nostro coniunctis, pacem optauimus, et optamus, ad infrascriptam pacem et concordiam, Deo propitio perpetuo duraturam, deuenimus cum eisdem in hunc modum. Videlicet, quod idem Dux, et communitas Venetiarum, et in eorum personis, ac uice, et nomine eorundem, Ambaxatores, nuntij, procuratores, et syndaci praelibati, habentes ad infradicenda plenam et liberam potestatem, uigore instrumenti iam dicti, quod penes nos retinuimus ad cautelam, contenti fuerunt renuntiare, et effectualiter renuntiauerunt de facto in manibus nostris, nostro et successorum nostrorum Regum nomine, toti Dalmatiae, a medietate scilicet Quar-narij, usque ad confines Duracij, omnibus ciuitatibus, terris, castris, insulis, portibus et iuribus, quae habuissent et tenuissent, et habebant, et tenebant, in eisdem quoquomodo, et spetialiter ciuitatibus Nonae, Jadrae, Scardonae, Sibenici, Tragurij, Spalati et Ragusij, in terra firma existentibus. Item ciuitatibus et terris Obseri uidelicet, et Chersi, Veglae, Arbi, Pagi, Brachiani, Lesnae et Corzulae, cum insulis et omnibus utilitatibus et pertinentijs eorundem, ac titulis Dalmatiae et Croatiae, quibus uti consueuerant Duces antedicti, et totum ipsorum ius, et dominium, ac proprietatem, si quos habuissent, in nos et successores nostros, sponte, deliberate, et animi maturitate transferrentes. Renuntiantes insuper omni actioni et omni iuri, et legis beneficio, quibus ullo unquam tempore possent contra praedicta, uel praedictorum aliquod se iuvare, et promittentes solemniter, sub vinculo sacramenti, pro se, et dictis, Duce et communi corporaliter praestiti, de ipsa Dalmatia, ciuitatibus, terris, castris, locis, insulis, iuribus et titulis, ac ipsorum Dominio, seu possessione nullo unquam tempore per se, uel alios se intromittere uel aliquatenus impedire usque confines antedictos. Obligantes se, omnes ciuitates, terras, castra, loca, portus, insulas, atque iura infra dicta confinia existentia, quae sunt pro nunc in mera potestate ipsorum, liberè, purè, et simpliciter nobis, uel quem ad hoc deputauerimus, absque omni dolo, siue fraude infra spatium uiginti duorum dierum a tempore datae litterarum praesentium resignare. De terris autem et locis, quae in ipsorum potestate non essent, sed regerentur per Rectores eorundem, reuocare, et extrahere quoslibet Rectores, et Officiales, et gentes quaslibet eorum nomine ibidem residentes, et quod eis imposterum contra nos, uel aliquod auxilium, uel iuuamen non dabunt; supplicantes ex nunc, quod ipsas ciuitates, terras, castra et loca, cum ad nostram obedientiam deuenierint, dignaremur sub fauoribus et gratijs nostris recipere, sicut soliti fuimus esse alijs gratiosi. Et uersa uice, Nos, uolentes ipsos Ducem, et commune habere perpetuo in amicos carissimos, promittimus, quod omnes terras, castra et loca, quas ipsi, seu eorum subditi, et sequaces tenebant in partibus Triuisanae, et Cenetensis, ac Istriae, seu alibi, quae ad nostras manus deuenissent, uel deuenirent, uel nostrorum, et nomine nostro tenerentur, aut nostrorum; sibi, et dictis suis subditis, et quorum erant, faciemus tradi, restitui et libere assignari, infra terminum uiginti duorum dierum praedictorum, seu qui-